

DIFFICULTATIS PONDVS IN EO CONSISTIT; VTRVM

Officialis Sancti Officij diuidicandus sit potentior ratione

officij; aut tantum ratione priuilegij.

I **P**raemitendum est nos loqui de officiali nullam habenti iurisdictionem qualis est Notarius à secretis, seu secretarius cuius officium est scribere, & actitare ad mandatum Inquisitoris: non vero sermonem instituere de Inquisitore, qui aliqualem iurisdictionem habet (licet, non in aduersarium, sibi non subditum præter quam in causis fidei)

2 Quo præmisso, resolutiue dicimus, prædictum officiale non esse potentiorem ratione officij, sed duntaxat ratione priuilegij.

3 Ratio est quia nullam habet iurisdictionem, ac ideo non potest aduersario metum inferre, illum terrere, aut vexare; ille enim dicitur potentior ratione officij, qui iurisdictionem habet in aduersarium, ut pluribus laudatis, tenet Olea decess. iur. tit. 2. q. 4. nu. 23.

4 Et quamvis nonnulli D.D. per eum ibidem relati dixerint iudicis arbitrio relinquendi, quis dicatur potentior ratione officij; cum hoc arbitrium debeat esse regulatum; dici non potest se extendi debere ad prædictum officiale secretarium, qui minister est, & subditus inquisitoris, vt idem Olea sentire videtur nu. 60.

5 Hinc est quod alienatio, aut cæssio facta in præfatum officiale non pertinet ad tit. c. ne liceat potentioribus. Sed ad ædictum de alienatione iudicij mut. caus. facta. Hæc est enim differentia inter istos titulos, quod ille loquitur, & disponit de alienatione facta in potentiorem ratione officij. hic vero in potentiorem ratione fori, diuitiarum aut priuilegij. Eleganter Olea supr. nu. 13. & 14.

6 Inter quos titulos est & alia differentia, quod cedens, seu alienans ad fauorem potentioris ratione officij, iactura causæ multatur, cadit que à iure suo, & potentior extra ordinem punitur I. 1. & 2. c. ne liciat potentior. Olea supr. nu. 18. at si in potentiorem ratione fori, aut priuilegij: cæssio, seu alienatio valida est nec cedens in aliquo punitur. Sed cessionarius vti non potest suo priuilegio I. 1. & per tot. ff. & C. & in decretal. de alienatione iudicij mut. caus. facta, late Olea supr. num. 32. & sequent.

7 Ex quo sequitur donationem officiali factam non esse nullā ipso iure, nec annullandam per sententiam, dato quod ab extraneo eidem facta proponeretur: potest namque aduersarium coram suo iudice conuenire inter terminis. Olea supr. nu. 60.

A

Non

8 Non obstat capitulum 81. In iunctis Imperat. Caroli 5. nec Regia concordia anni 1635. capit. 10. quatenus innuere videntur cessiones, & donationes factas officialibus Sancti Officij esse nullas, vti factas in potentio rem ratione officij, iunctis tradditis a Cutelli ibidem & Muta decess. 1. nu. 1.

9 Nam multipliciter respondetur 1. quod dicta concordia cap. 10. nihil disponit, sed tantum praecipit seruari dictum Capitulum 81. quod tunc temporis non erat in obseruantia; sive ex regula leg. asse toto ff. de haered. instit. relatum est in referente, & standum est praedicto capit. 81. ad quod se refert concordia.

10 Secundo praeditum capit. loquitur de cessionibus creditorum in exigibilium, quae in officiales siebant, causa defatigandi aduersarios. Et haec dicuntur nullae tanquam factae in potentio rem ratione officij. Vbi notanda est dictio *tanquam*; quae improprietatem denotat, & fictionem; Barbosa de dictionibus dict. 403. nu. 1. & multoties similitudinem ibidem nu. 2. quasi diceret Imperator, ad instar potentiorum ratione officij.

11 Et merito; noluit enim Imperator praedictas cessiones subsistere posse, ne officiales earum virtute Regnicolas coram suis naturalibus iudicibus defatigarent; essent, que litium redemptores vti de iure communi prohibitum erat in leg. ab Anastasio leg. per diuersas. C. Mandati. Praeuidit namque Imperator cessiones praedictas mero iure validas esse, vti factas in potentio rem ratione priuilegij, qui eo non vtendo poterat contra aduersarium se dirigere coram iudice competente, vt clare ibide insinuat, ibi placet C.M. quod per huiusmodi cessiones non immutetur conditio fori: ne tamquam hoc fieret, pro praedictis creditis in exigibilibus, defatigando pretenso debirores: irritauit huiusmodi cessiones tamquam si factae fuissent in potentio rem ratione officij, sed non multauit creditores iactura causae.

12 Quomodo accipiendi sunt Cutelli, & Muta ubi supra ( alias toto Cælo aberrant ) & sic eos intelligit, Olea dicta qu. 4. nu. 60. qui dicit standum esse verbis concordiae, & nihilominus in nostris terminis concludit cessiones validas esse, Dummodo officiales fori priuilegio non gaudeant, quod euincit non esse, nec estimari potentiores ratione officij, & conducit quod tradit Carlebal. de Iud. disp. 2. nu. 591.

13 Tertio. Quod dato, & non concessso, quod officialis Sancti Officij esset potentior ratione officij: adhuc interminis praedicti capit. 81. cesso, & quaelibet alienatio ( regulariter loquendo ) in eos collata, cesseante dolo, & fronde valida est, dummodo creditum sit verum, & exigibile ( vt pote si de eo constet per publicum instrumentum habens param

tam exequitionem) possunt que hoc casu agere coram Iudice competente.

14 Prouatur ex verbis predicti capituli, vbi in supplicatione haec habentur. & fannus cedere li raxioni di alcuni credituri di debiti in exigibili (et ibi) & fanno milli vexationi di forma che multi volti non su creditor i in summa alcuna, & fanno indebitamente pagari, (& indecisione ibi) placet C. M. quod per huiusmodi cessiones non immutetur conditio fori, & quod non valeant huiusmodi cessiones; vbi notanda est dictio huiusmodi, quae relativa est ac repitit præcedentia cum omnibus suis qualitatibus. idemque imporrat ac se diceretur, tales cessiones non valeant, leg. huiusmodi, f. Delegat. 1. late Barbosa dict. 138. num. 1.

15 Vnde deducitur predicti capit. dispositionem ad illas tantummodo cessiones restringi, quæ expresse designatae fuerant in supplicatione; hoc est ad cessiones creditorum in exigibilium quibus subditi indebito vexabantur pro summis non vere debitis. Ideo præfata dispositio non est extendenda ad donationes, & cessiones rerum, & iurium vere existentium, & legitime apparentium, contra verba statuti, mentem statuentis, & iuris communis prouisionem; iusta vulgares regulas, prout infra-

16 Iure, nanque, communi validæ sunt alienationes, & cessiones factæ impotentiorum ratione officij si absit dolus, & fraus, ius cessum sit verum, & de eo constet per publicum documentum, nihilque intersit aduersarij, vt cum glosa in d. leg. 1. verbo specialiter Cne liceat potent. Ofascho Trentacinco, & alijs resoluti Olea dicta. quæst. 4. num. 24.

17 Ergo nulla ex causa dici potest in dicto cap. comprehendi donationes, & cessiones bona fide, & absque fraude factas Officialibus S. Officij de veris, & legitimis creditis, & in quolibet foro exigibilibus quandoquidem in ijs, qui vere potentiores sunt ratione officij illas ius commune non irritat,

18 Quod autem in casu donationis de qua est controversia, cesset dolus, & fraus, patet; nam predicta donatio facta est à matre in filium legitimum primogenitum, immediatum, & in dubitatum successorem post eius mortem, in bonis in ea comprehensis, celibarem & in statu ducenti uxorem, vt melius ac honorabilius, promodo ipsius qualitatis posit se matrimonio copulare, eiusque onera maiori cum splendore sustinere. Id circa que proculdubio abest dolus & fraus, vti docent infiniti doctores apud Oleam vbi proxime num. 24. & 25. qui constanter resoluunt cesse re penam, & dispositionem d. leg. 1. & 2. ne liceat potentioribus quando cesso sit in potentiorum sanguine coniunctum etiam si sit in filium; quod contra Barbosam in leg. 1. p. 7. n. 47. f. solito matrimonio, tenet ibidem Olea d. nu. 25. ad fin. nisi constaret clarissime animo vexandi facta fuisse

( in qui-

obit

4

( in quibus terminis loquitur Barbosa, qui non est contrarius sed pro nobis facit ut constat ibi nisi clarissime constiterit quod non animo vexandi sed ex iusta causa facta sit ea cessio nam tunc admittetur si iudici vissum fuerit videndum dicto num. 47. vers. sed ad veram resolutionem. )

19 Clarissime enim appetet in casu nostro ab esse fraudem, & non esse factam praedictam donationem animo vexandi aduersarios, sed ex iustissima causa; tum ex proxime dictis, tum quia filius in vita patris seu matris, paternorum bonorum quodam modo dominus existimatur leg. in suis 11. ff. de liber, & post hum. leg. cu ratio ff. de bonis damnat. cum Vul. gatis, & dicitur habere actionem, & ius ad legitimam, illi que esse quasi debitam titulo oneroso. Roland. conf. 97. nu. 7. lib. 2. Menoch. conf. 206. nu. 98. & alijs relatis. Merlin. de legit. lib. 5. tit. 3. qu. 1. nu. 2. & 3. cum sequ.

20 Et quamvis viuente patre legitimam filius petere non possit, tamem non prohibetur pater, etiam viuens bona illi asignare pro legitima post mortem debita, & talis asignatio valida est, & reuocari non potest, si rite facta ( nempe exhibito iuramento ) supponatur. Crassus in §. legitima quæst. 12. nu. 8. Carpan ad statuta Mediolan. capit. 485. nu. 10. Merlin. vbi proximo nu. 10.

21 Quibus accedit quod mater donatrix in casu nostro nihil aliud fecit quam se demedio tolere, & filio in vita restituere bona post mortem precise restituenda lege permitente, eo quod filius est certus, & in dubitatus sucesor, ad traddita per DD. in leg. filius familias la prima §. diui ff. de legat. 1. leg. cum pater 77. §. seium ff. delegatis 3. capit. 1. de alienat. feudi paterni cap. 1. de eo, qui finem fecit agnato, cum sexcentis alijs ac tum denique ex infra dicendis.

22 Quod vero creditum sit verum exigibile, & nulla possit elidi legitima exceptione ( saltem in via executiva ) est luce meridiana clarus quia inter alia bona donata ( de quibus nulla est controversia ) sunt doctes in pæcunia, & alijs rebus æstimatis, apportatae perdo natricem ad matrimonium cum D. Ioseph Monta aperto, qui ad illarum restitutio- nem se obligauit per publicum dotale instrumentum cum pacto de non opponendo &c. cuius instrumenti virtute donatarius causauit executionem in Tribunal Sancti Officij ad summam Vnt. 800. contra aduersarios vniuersales hæredes dicti Don Ioseph, quod causam prebuit contentioni iurisdictionis cum R.C.P.

23 Nec ex hac personæ, & iudicij mutatione, aduersarios damnum aliquod, aut interesce pretendere posse; palam est, quoniam istius Vrbis incolæ sunt, in qua residet Tribunal Sancti Officij, & R.C.P.ac proinde

inde easdem expensas , nec grauiores in uno quam in alio facere coguntur , & in Sancto Officio pariter , ac in curia prætoris iustitia administratur ; nec contrarium prafumendum est de DD. inquisitoribus Viris probis intali dignitate constitutis . Præterquam quod aduersarij potentiores Vere sunt ratione nobilitatis , ac cognitionis cum potentissimis , & clarissimis familijs istius Civitatis , quamobrem dici non potest ad esse timorem Vexationis , aut metus incusionis , ex parte officialis agentis , qui nullam habet parentelam in hoc Regno .

24 Hæc sibi locum vendicant interminis prædicti capit. 81. Imperatoris Caroli, iunctis resolutionibus , Vtriusque Marij, Cutelli, ac Mutæ, quibus auctoritatibus suffulti aduersarij adseuerant, officiales Sancti Officij potentiores esse officij ratione , ac proinde cessiones , & donationes in illos collatas nullitatis vitio laborare, iuxta text. in d. leg. 1. & 2.c. ne licet potent . Videndum nunc vtrum ex eo quod potentiores habeantur ratione priuilegij fori , incidat donatio controversa , in edictum de alienat.iudic.mut.cauf.facta,taliter quod non possit vti priuilegio fori in actius, officialis donatarius .

25 In qua difficultate pars aduersa (vt remissionem causæ ad iudices C.P. obtineat, hoc solo contenta) , se letatur de doctrina Oleæ dicta qu. 4. ex nu. 31. vers. diximus & præcipue nu. 60. vbi iuxta integrum titulum de alienat.iudicij , & communem doctorum traditionē, quorum nomen claturam precedentibus numeris late recenset, constanter resoluit, cessionem , & alienationem in officialem Sancti Officij factam validam esse : non posse tamen suo vti priuilegio, sed debitorem cessum coram suo proprio iudice conuenire debere ; ad quod citat Carlebal dicta disput. 2. nu. 591. (qui non loquitur de officialibus Sancti Officij sed de curialibus non æque priuilegiatis vt per se patet.)

26 Sed nihilominus, in easu nostro concludendum est, officialem vti posse suo priuilegio trahendi reos ad forum Sancti Officij: quod non tantum ipsem olea recte perpensus, & intellectus , sed & alij quamplurimi DD. ab eo laudati , ac etiam alij a nobis adiumenti clarissime confirmant , vt ex sequentibus apparetur .

27 Est communis resolutio, tria substantialia præcipue , & præcisè requiri, vt locus sit ædicto de alienatione iudicij , scilicet , Doloni , alienationem mutandi iudicij , & interesse aduersarij . Ita glos. Verbo commutationem in capit. 21. de alienatione iudicij , & cum farinacio, Rebusto, Cuiacio, Fabro , Capicio , Galeota, Galerato , Trentacincio , & alijs quam plurimis, Olea supr. num. 33. & post eum Besoldus indelabit. iuris ad lib. 4. pandectarum, tit. 7. de alienat.iudicij quæst. 21. His autem tribus

6

cessantibus, omnes præcitatí conueniunt, ad dictum cessare.

28 In casu nostro supra dicta non adesse, iam demonstratum est & amplius demonstrabimus; cessat dolus; tum quia creditum est verum, exigibile, & de eo constat per publicum instrumentum ac indubitabile est; quod solum sufficit ut non sit locus adicto, ut aduentunt Trentacinc lib. 2. Variar. tit. de iudicij resol. 17. num. 47. Anton. Faber lib. 12. coniect. capit. 12. Duaren, & Vuesenbech ad tit. de alienatione iudicij, quos sequitur Olea dicto num. 34. ad quod eleganter conduceit quod tradidit idem Olea tit. 6. qu. 10. num. 55. & 56. cum sequ. omnino videndus. Nobisssime & valde ad propositum Censalius decisi. lucens 87. num. 15. 16. & 17. vbi alios quamplures DD. & Rotæ Rom. decisi. cumulat. Cutelli de donat. p. 1. special. 27. num. 13. optime in casu non ab simili Carpzou. resp. elec. lib. 5. tit. 8. resp. 89. per tot. etiam videndus: tum etiam quia donationis, & cesso facta est in sanguine coniunctum, filium primo gemitum, & indubitatum successorem in bonis donatis, ex dictis supr. num. 18. & prouat Ulric, Hunni, enclopodi & p. 2. tit. 5. capit. 7. num. 31. cum Guido Papæ decet. 273. Menoch. præsump. 229. num. 39. lib. 3.

29 Cessat. quoque aduersariorum intereste iuxta superius dicta num. 13. cum nec in commoditatem nec grauiores expensas istius donationis ratione, passuri sint, quod facit etiam adictum quiescere leg. 1. §. fin. leg. 2. & 3. §. ex quibus ff. de alienat. iudicij Besoldus vbi supr. dicta quæst. 21. in principio. Olea supr. nu. 38.

30 Cessat item alienatio iudicij mutandi. Nam licet ex aduerso ponderetur, donationem contentiosam factam fuisse paulo ante iudicium ceptum, & executionem causatam in Sancto Officio, & postquam in Curia Pretoris fuerat institutum iudicium manutentionis honorū predicti D. Ioseph Montaperto, cuius hæredes ab intestato aduersarii existūt: ex quo fraudem, & alienationem iudicij mutandi, argui, & probari contendunt, ex Surdo dieis. 326. num. 87. adhuc tamen extra adictum nos esse firmiter asserimus.

31 Istud est fortius ac potentius telum quo nos sauciare tentant aduersarii, sed iudicio nostro leuissimum. Tum, quia donatio facta fuit die 21. Mensis Decembris 1663. quo tempore donatrix, aut donatarius de lite mota aut mobenda cogitare non potuerunt, imo nec suspicari. Illa quipe iam die 20. eiusdem mensis mobilia bona eius viri pro dotis sue credito retinuerat: qua recentione se tutam contra creditores, & hæredes mariti existimauit, nec ullam sibi molestiam inferri, aliam ve controuersiam in solutione residui expectauit, sibi ab hæredibus viri moberi posse; iuxta late traddita per Amat. lib. 1. resol. 39. ex num. 57. latissime

70

ne multos DD. laudans Mathia Berlich conclus. practicab. p. 2. capit. 32.  
per tot. Besold, indelibat. iuris ad lib. 23. 24. & 25. pandectarum quæst. 12.  
per tot. vbi optime: quando quidem ad solutionem virgeri poterant via  
executius, virtute contractus dotalis, paratam habentis executionem cum  
clausula constituti, & pacto de non opponendo.

32. Tum quia re vera non erat lis mota in C.P. iudicium enim ibi  
institutum ( si forte fuit ) non concludit litis pendentiam, nec arguit dol-  
lum, & fraudem in donatione subsequita, quasi facta fuerit causa mutan-  
di iudicij, quia heredes ibidem, solummodo petuerunt se declarari ta-  
les ab intestato, vti fratres consanguinei dicti D. Ioseph. ac se immitti in  
possessionem bonorum Hæreditatorum remedio legis fin. C. de edicto  
D. Adriani & cap. 43. Incliti Regis Ferdinandi: ad quod iudicium non  
fuit citata Donatrix, nec de illo notitiam habuit usq. dum causata iam e-  
xecut. in Sancto Officio, ad instantiam filii donatarij post diem septimum Ia-  
nuarij presentis anni, heredes prædicti illa citari fecerunt, vt illius iudicij  
prætextu, iurisdictionis cōtentio excitaretur, & impediretur prædicta exe-  
cutio.

33. Attamen nec ipsa nec filius donarius comparuerunt in Curia  
Prætoris, illa, quia iam omne ius suum tempore habili, transtulerat in fi-  
lium, & non erat pars formalis: ille quoqnam non fuit citatus nec debebat  
comparare nisi ad allegandum suum priuilegium, & causa pendentiam  
in S. Officio virtute executionis iam causata.

34. Ex quibus fluit non dari litis pendentiam in Curia Prætoris, quæ  
operari posset prædictos effectus, ratio est. quia iudicium non dicitur  
ceptum nisi per citationem valide, & legitime executam, expressus text.  
in lege si quis posteaquam 7. vbi Petrus Barbosa, & Ant. Fab. in rationali  
ff. de iudicijs DD. in leg. vbi ceptum, & in leg. & post adictum 73. ibi  
proposito citat adicto ff. illo tt. Carlebal infinitos referens de iudicijs disp.  
2. num. 879. & num. 906. & nobisime illo non laudato Sanlegerus  
Depræu. p. 1. capit. 9. per totum, optimus tex. in cap. proposuisti de foro  
compet, vbi Canonistæ répetentes, & in cap. gratum ibi *cum citatione fa-  
cta negotium sit quasi ceptum* de officio Delegati, ac per consequens ante  
citationem non datur litis pendentia, litigium, nec existentia litis quo ad  
prædictos effectus, ex precit. iuribus, & DD.

35. Deinde ad inducendam litis pendentiam ( quidquid sit depre-  
nuntione de qua non agimus ) non sufficit citatio, sed precise requiri-  
tur litis cōtestatio aut actus illi similis DD. in authent. qui semel C. quom.  
& quando Iudex, late Lancelotus de atentat. lit. penden. in præfact. n. 7.  
& sequen. Sanlegerus Depræu. p. 2. capit. 14. num. 15. & 21. Vnde  
cum

cum deficiat citatio, & litis contestatio dici non potest quod sit litis pendentia in Curia Praetoriana.

36. Ulterius Donatarius impedire non vult manutentionem immobilium, & iurium hæreditiorum, contentus nanque retentione mobilium intra Domum existentium in compotum crediti dotalis, & cum protestatione recuperandi reliquum virtute sui contraictus ( prout donatrix fecit, & protestata est ) hoc tantum iure intendit utrum ; quod demonstrauit causando executionem in S. Officio contra prædictos heredes, & eorum bona hæreditaria significans nolle se bonorum manutentione insistere, nec item super ea introducere.

37. Ex quo multa deducuntur. non dari litis pendentiam, ut num. præcedenti prouauimus. Secundum, quod casu quo aduersariorum libellus, petitio inuentari, & in missionis in realem posessionem sumum aliquem præparari iudicij in C. P. ( in cuius fraudem donatio facta cauietur ) excitare possent : quiescit ac euanet, eo ipso quod ab initio, & nunc constat, donatarium, iudicium illud impedire nolle, nec in eo partem facere, imo tacite & si opus est expresse manutentionem consentit. Vnde cum iudicium manutentionis finiatur per acta missione Argellus de legitim. contradic. quæst. 2. art. 3. nu. 123. per textum optimum in leg. à diu pro §. si post addictum ff. de re iudicata, & sequitur eleganter sanleger, de preu, p. 1. capit. 5. num. 11. & 13, cum sequent, & capit. 24. num. 2. & sequent : nullo modo considerari potest litis pendentia, continentia, aut cōnexitas causæ, que impedit executionem causatam in S. Officio, illam ve redat suspectam in fraudem alterius iudicij præparati in Curia Prætoris,

38. Istæ enim causæ diuersæ, separatae, & disimiles sunt, tenduntque ad diuersum finem, vna non impedit alteram, nec sententia dicta in vna parit executionem rei iudicatae in altera, non est agendum de domino, & proprietate bonorum, nec modo de hoc disceptatur ; ac per consequens cessat omnis legalis dispositio in materia preventionis litis pendentia, & continentia causæ non diuidenda, ad late traddita per Doctores in leg. nulli C. de iudicij leg. ordinarij C. de rei vendicatione leg. vbi cæptum ff. de iudicij leg. & an eadem §. fin. cum leg. sequenti ff. de except. rei iudicatae capit. 1. de causa possessionis cap. 1. de litis contest. lib. 6. latissime Carlebal. de iudicij tom. 2. Tit. 1. disp. 2. per tot Salgado laberint, credit parte 1. capit. 4. Sanleg. vbi supra & p. 2. capit. 14, 15. & 16.

Ac etiam cessat litigiosi vitium, quod non datur, nisi lis sit super Dominio, & proprietate bonorum, de quo ( quia casui nostro nulla tenus accomadatur ) videndus post Lancelotum, & alios infinitos, quos laudat,

laudat, Salgado de Régia protectione 4. p. capit. 8. num. 168. cum multis sequentibus Cancer. 2. variar. cap. 12. per tot. m<sup>3</sup> 39 Tertium & valde notandum in proposito: quod donatarius non habuit animum litigandi, creditur nanque, & credere debuit non esse opus contendere in iudicio, pro recuperatione crediti dotalis, ad quod hæredes tenebantur virtute publici contractus, ab auctori suo stipulati, & sperabat sibi satisfaciendum fore, absque vlla controuersia, idemque existimauit donatrix, quando donationem fecit; nullo modo cogitans de futura lite, quam sperare non debebat, ut superius prælinuimus.

-140 Ac propter ea cessat omnis suspicio dolii, & fraudis in prædicta donatione, quod scilicet facta fuerit causa mutandi iudicij, in præiudicium litis pendientia, aut causæ continentia, m<sup>3</sup> 41 de Nec obstat dicere, non esse adhuc exequam manutentionem nam hæc extenditur ad bona mobilia, quæ retinentur per donatarium & eis non traditis ac restitutis, dici non potest finitum iudicium manutentionis ex his, quæ diximus supra nu. 37.

-142 Nam respondetur, quod ex parte donatarij nullū est appositum impedimentum, ut neque ex parte donatricis. Solummodo nanque est interpositum decretum pro ad implemento prædictæ exequitionis, quod indicat actorem non insistere bonorum possessioni, cum in bonis proprijs ab eo possedit non posset consistere pignus prætorium iuxta Vulgares reguli, & sepe sepius in Sancto Officio, responsum fuit iudicibus, C. P. nolle impidire prædictam manutionem, sed ex quo prædictum decretum erat interpositum, & in omnem euentum bona deseruire debabant pro satisfactione crediti dotalis: Opus esse quod asecurarentur, facto deposito in persona bene visa, autoritate vtriusque Tribunalis vel præstata fideiussione per hæredes de detinendo loco depositi, quod nunquam fuit admisum in dicta curia prætoris.

-143 Nec rursus obstat replicare contra superius dicta, quod depræhenditur animus mutandi iudicij ex quo post factam donationem in continentali fuit causata executio in S. Officio, nempe die 7. Ianuarij, quæ fuit prima non impedita post ferias in honorem Natalis Domini.

-144 Respondetur nanque quod a die 20. Decembris 1663. usque ad prædictam diem 7. Ianuarij 1664. intercesserunt dies Decem, & Septem, & licet fuerint impeditæ ob ferias prædictas, tamen donatarius potuit cognoscere (ut re vera cognovit) noluisse aduersarios soluere doctes se vanis prætentib[us] excusantes. Ideoq[ue] post longas altercationes deliberauit tandem causare exequitionem coram suo iudice competente in actiuis, quod nullatenus concludit fraudem in donatione præcedente stantibus, alijs circumstantis supra ponderatis, quæ illam excludunt.

-145 Item non refragatur aferere prædictam donationem ex eo fraudulen-

dulentam esse, quod in ea mater donatrix, sibi referbat alimenta, & certam summam pæcuniarum a filio donatario præstandam, ut de illa tempore mortis disponere possit, ac etiam certam portionem soluendam alteri filio, dohatarij fratri, pro legitima sibi de bonis matris debita.  
 46 Huic enim scrupulo fit satis magis ac magis deprehendi sinerum animum donatricis ex dictis pactis & reservationibus. Et iis personis penitus cessare fraudis suspicionem. Voluit nanque facere actum validum, iustum, ac legitimum in favorem filiorum, non fictium, nec simulatum, vt re vera primo genitus haberet omnia illius bona præsentia, & futura, & secundo genitus (qui clericus est) moderatam portionem pro alimentis caperet. Non poterat consistire donatio bonorum omnium præsentium, & futurorum nisi reseruatris donanti alimentis, & aliqua quantitate ad testandum ut in iure notissimum est ad late traddita a Gutierrez de iuramento lib. 1. cap. 11. Cutelli de donat. tomo 2. special. 1. per tot. Donatarius ut filius, & frater, matri ac fratri aliunde non habentibus, seclusa donatione alimenta præstare tenebatur, ut est etiam de iure certissimum leg. si quis aliberis per tot. ff. de liber agnoscendo, leg. 1. §. sed nonnullus vbi glos. Verbo præstiterit ff. de tutellis leg. qui filium vbi glos. final. ff. vbi pupillus educere debeat. Et uterque vti commensalis donatarij officialis Sancti Officij, foro gaudet in passius. Mater dum in humanis agebat eius vir; nihil filiis donare poterat. Donauit cum primum potuit pro ut in votis habebat, ut sic filiorum commoditati consuleret, & a sæculi curis se immunem redderet. Deoque liberime famularetur.

47 Quid ergo matri imputari potest quod fecerit actum filio proficuum, & nulli damnosum, nisi fraudem; dolum ac delictum dicas habere filium Secretarium, & officialem Sancti Officij? Quid filio quod donationem a matre factam eorumdem met bonorum quorum legitimus immediatus, & indubitatus successor est post illius mortem acceptauerit? Quid, quod aduersarios in iuste recusantes soluere dotes, coram Inquisitore ipsis iudice competente in actiuis, & passiuis, constringi curauerit decretò super eisdem bonis dotalibus, & alijs hereditarijs interposito? nisi fraudem dicas Decretum Illustrissimi Inquisitoris generalis prohibens officialibus Sancti Officij ne coram alijs iudicibus quam Inquisitoribus, agere intendant, aut conueniri patientur.

48 Hæc cum ita sint non officit quod traddit olea dicta quæst. 4. nu. 60. nam præter quam quod ille intelligendus est iuxta terminos prædicti capituli 81. D. Imp. Caroli, & concordie anni 1635. cap. 10. iunctis traditis ab utroque Mario, Cutelli, & muta, quos ibidem citat nempe in meritis cessionibus creditorum inexigibilium ut exprese agnoscit dum pluries firmat testandum esse verbis concordia (quam ipse non vidit,

nec considerare potuit) appertissime deprehenditur, doctissimum, & consultissimum illum virum, loqui in casu illo quo tria praedicta, vide-  
licet, fraus, alienatio causa mutandi iudicij, & inter se aduersarij, con-  
currunt, alias enim; eset sibi ipsi contrarius & non tantum sibi sed infinitis  
autribus imo, & iuris principijs, que sequutus fuit a num. 33. cum  
seq. prout nota quimus supra n. 26. quod de tanto viro nec presumatis est  
addend. Cancer. d. cap. 12. num. 68. & 69.

49. Vnde cum nos versemur in casu excepto vbi praedicta tria om-  
nino cessant, ut ad oculum patet, ac iam supra ostendimus. Olea om-  
nesque alij iuris prudentiæ sacerdotes nouis opitulantur.

50. Cui resolutioni duas alia communes opiniones auxiliares ma-  
nus præbent. Prima quod Viduæ, & miserabiles personæ pro iuribus  
cessis, indistincte vntuntur priuilegio electionis fori, iuxta tex. in leg. uni-  
ca C. quando imperat inter pupillum & Viduam, vt ex veriori, & re-  
ceptioni sententia resoluunt. Olea quam plurimis laudatis dicta quæst.  
1. num. 56. & 57. Nogar. de elect. fori quæst. 14. num. 2. & 3. Cumia  
super ritu capit. 82. num. 16. & ita practicari videmus in hoc Rcgno.

51. Secunda quod cessiones, & donationes facta scholaribus a pa-  
tentibus pro expensis, & libris ad studium necessarijs, cessante fraude  
validæ sunt, & possunt deuítores cessos coram iudice conseruatorē con-  
uenire, ex priuilegio de quo in auth. Hauita C. ne filius pro patre Rebus,  
de priuilegijs scholar. priuileg. 177. num. 189. & aliis relatis Carleual de  
iudiciis tit. 1. disput. 2. num. 449. Olea supr. num. 52. & seq. Escobar de  
Pontif. & Reg. iurisdit. cap. 51. per tot.

52. At sic est quod priuilegium officialium Sancti Officii, maius &  
potentius est, priuilegio scholarium, ac miserabilium personarum: illis  
quipe concessum est in fauorem fidei, ne officiales, qui continuo Sancti  
Officii ministerio incumbunt per extranea tribunalia diuagari, propriis  
litibus occupati cogantur, & ab expeditione cauſarum fidei auocentur, vt  
ex Narbona notat Carleual dicto tit. 1. disput. 2. quæst. 6. sect. 6. num.  
514. Iis autem; vel miserationis causa, vel ob fauorem publicum, quod  
est inferioris ordinis, videndum late Escobar cap. 53. & 54. optima enim est  
ratio, quæ pro religione facit leg. sunt personæ 45. ff. de relig. & sumptu-  
bus fun. cum Vulgat. late Mastrillo decis. 280. per tot. & a num. 88.  
Hieronimus de Leo decis. Valent 90. num. 23. & seq. lib. 1. Qui-

53. Ergo apotioritate rationis, officiales S. Officij cessate fraude, suo  
priuilegio vti possunt, pro iuribus sibi cessis, & donatis; cum priuilegia su-  
mentur ex causa, & etiam in concursu illud habeatur ut poterius pro quo  
est maior ratio, causa magis publica, pia, ac plus priuilegiata leg. verū §.  
fin. ver. plane ff. de minoribus leg. sed & milites 8. §. 1. verbo fortior. ff.  
excusat. tut. Bald. in d. Auth. hauita Rota apud Farinac. decis. 557. n. 4. p. 1.  
recentior Matrillo, & Leo vbi proxime. Qui-

54. Quibus pro chōronide addi potest, quod cessionio, quæ ad utilitatem cessionarij gratuito fit, dicitur donatio, & ex hoc cap. nullo alio expresso titulo, sustinetur, nihil impediente dispositione prædictarum legum per diuersas, & ab Anastasio C. mandati, precipue si fiat in coniunctam personam, ut ex eisdem legibus prouant Parlador lib. 2. rerum quotid. cap. fin. 3. p. §. 4. num. 7. Hunnius Enciclop. p. 2. tit. 5. capit. 7. num. 5. e contra vero donatio proprie loquendo non dicitur cessionio, imo absq; cessione formalis potest donatarius agere, & debitoris nomen donatum in iudicio exigere, quia in illum transeunt utiles actiones sine cessione. Optimus & expressus textu in leg. emptorem C. de hæred. velact. vendita, & apertius ad propositū tex. elegans in leg. 2. C. de obligat. & action; & non minus clarum lex vlt. C. quando fiscus vel priuat. leg. ex legato C. de legatis. Magistraliter Parladorus, in sex quincenturia diff. 37. §. 1. vbi n. 5. respōdet ad tex. in leg. fin. ff. de donationibus, ex quo cōtrariū prouari posse videbatur, & inquit procedere de iure de gestorū secus autē hodie de iure C. per tex. in leg. si quis argentum 35. C. de donationibus.

54. Vnde est quod in statuto loquente de cessionibus non faciendis Officialibus Sancti Officij (vt est prædictum capit. Imp. Caroli) non comprehenduntur, nec haberi possunt ut cōprehensæ donationes, seu (quod idem est) cessiones gratuitæ ad commodum cessionarij, quæ propriae cessiones non sunt: precipue si fiant in coniunctam personam. Statutum quippe odiosum est, & semper stricte interpretandum, nec extendum, maxime vbi non militat eadem ratio, & vbi extensio non venit ex vi comprehensiua, & verbis id necessario inducentibus tex. in leg. ius. singularē ff. de legibus cum similibus, & late aduertunt Bart. in leg. liberorum vers. quero pone ff. de verb. sign. Decius conf. 679. nu. 5. Altrogrado conf. 64. per tot. & à num. 18. & 19. magis ad propositum, & nobisime, Paitelius in decis. causarum ciuil. annotat 79. num. 5. cum sequentib. vbi ex multis prouat statutū loquens de venditione non extendi ad dationem in solutum, licet sit eadem ratio, videndus etiam ex n. 9. vbi quam plures refert. Herneſt Cothman responso 19. num. 13. vol. 3. & alibi pasim Cataneus decis. 3. num. 52. & 58. cum sequent. & decis. 7. nu. 23. Eleganter, & copioſe (vt à solet) VVillelm. Ant. Freunderberg. in percelebri tract. de reſcriptis moratorijs tit. 2. conclu. 2. à n. 35. cum multis sequent. Leeuen in censura forenſi lib. 1. cap. 9. num. 11. & 12.

Ex quibus concludimus donationem de qua queritur à matre filio Officiali S. Officij factam; non esse comprehensam sub dispositione dicti capit. 81. D. Imperat. & recte ad illius instantiam causatam esse executionem in S. Officio contra aduersarios, ad finemque debitum omni contentione quiescente perduci debere, salua in omnibus &c.

POMORMI, Apud Andream Colicchia MDC. LXIV. Imp. Abb. Gelasius V.G.  
Imp. Pro Sp. de Dominicis F.P. Abb. D. Octavius de Augustino.

*Hecha por el  
y a Manuel  
Monje y Amorata*